



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

De D. N. Iesu Christi in remittendis peccatis diuina Potestate, & optima
erga nos Voluntate: D. Bernardi Sententia. iij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

men adhuc in conspectu Dei viuentis, clamantis, & ad remissionem peccatorum aequè efficacis, & omnium Meritorum eius, in Baptismo facti sumus participes. Itaque licet Deus gratuito, hoc est, sine meritis nostris, sed propter nomen sanctum suum remittat nobis peccata: hoc tamen fit interueniente, pretio sanguinis Iesu Christi, dilectissimi Filij sui: ut quod gratis nobis contingit, id diuina Misericordia, & Christi Iesu Merito, totum feramus acceptum: & qui gloriatur, in Domino gloriatur, & in Cruce D. N. Iesu Christi. Cuius tantus est, tamq̃ propensus ergo peccatores, ne pereant, affectus, ut in Cruce Patrem suum pro suis crucifixoribus insultantibus & conuiciantibus orauerit, Luce xxiii.

1. Cor. 1.
2. Cor. 10.
Gal. 6.

Nullus itaque scrupulus remaneat apud hominem fidelem, in Christo Iesu baptizatum, verèq̃ pœnitentem, innixum duabus illis firmissimis & solidissimis Columnis: Dei scilicet infinita Misericordia, & Merito superabundanti Domini nostri Iesu Christi: per quem ut Mediatorem Dei & hominum, Deus Pater vult omnes homines saluos fieri. Qui caro de carne nostra, hominumq̃, proinde amantissimus, nunquam non clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

1. Tim. 4.

Ephes. 5.

Matth. 11.

De Domini nostri Iesu Christi in remittendis peccatis diuina Potestate, & optima erga nos Voluntate: D. Bernardi Sententia.

Vnde scimus, quòd Christus possit peccata dimittere? Hinc procul dubio, quia Deus est: & quicquid vult potest. Vnde autem, & quòd Deus sit? Miracula probant. Facit quippe opera, quae nemo alius facere potest: ut taceam oracula Prophetarum, nec non & paterna vocis testimonium elapsæ caelitus ad ipsum. Quòd si Deus

CAPVT

IIII.

Bern. Ser. 11.

ad Milites

templi.

Ioan. 15.

Matth. 17.

2. Pet. 1.

N

si Deus

Rom. 8.

si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Si ipse est, & non alius, cui quotidie confitemur, dicentes: Tibi soli peccavi: quis melius, imò quis alius remittere potest, quod in cum peccatum est? Aut quomodo ipse non potest, qui omnia potest? Denique ego quod in me delinquitur valeo, si volo, donare: & Deus non queat in se commissa remittere? Si ergo peccata remittere & possit Omnipotens, &

Psal. 31.

solus possit, cui soli peccavit: beatus profectò, cui non imputabit ipse peccatum. Itaque cognovimus, quòd peccata Christus Divinitatis sua potentia valuit relaxare. Porrò iam de Voluntate quis dubitet? Qui enim nostrà & induit carnè, & subiit mortè: putas suam nobis negabit Iustitiam? Voluntariè incarnatus, voluntariè passus, voluntariè crucifixus, solà à nobis retinebit Iustitiam? Quod ergo ex Deitate constat illum potuisse: Humanitate innotuit & voluisse.

CONSOLATIO EX SACRA ET IMMACULATA Incarnatione & Natiuitate Domini nostri Iesu Christi.

Fructus Incarnationis & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.

CAPVT
V.

INEFFABILE est planè, atque omnino supra captum ingenij humani Beneficium, in sine temporum orbi exhibitum, sancta & immaculata Domini nostri IESU CHRISTI INCARNATIO ET NATIVITAS: cuius consideratione pius ille vates David, de cuius ventre fructu natus est Christus, in hæc verba Spiritu sancto plenus prorupit: Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Quid enim mirabilius, quàm quòd Deus homo factus est? quòd ipse in sua persona venit ad liberandum

Psal. 131.